



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

**Parisiis, 1644**

Epistola CIII. Ioannis Papae VIII. Ad Rostagnvm Archiepiscopvm  
Arelatensem. Vt ad Synodum cum suffraganeis suis quamprimum veniat.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15967**

3. Reg. 14.

vniuersam redegisti in solitudinem: ecclesias, vt asserunt, ministris exspoliasti: castella ipsius terræ callide ac fraudulenter inuastisti. Qua compulsus necessitate homines Bernardi gloriosi marchionis, cum multitudine hominum tuæ rabiei occurfando, aliqua in eadem terra perperam egerunt: vt velut Ieroboam filius Nabath, qui peccauit & peccare fecit Israel, auctor omnium peccantium existas. Ideoque ad vniuersalem Synodum nostram, quam Deo auctore in proximo sumus celebraturi, Lugdunum venire te occasione omni postposita volumus, si funditus, vt dictum est, non vis gladio diuino mulctari. Lindoinum quoque vicecomitem audimus potestate, vti horrende denuntio, vti sacerdotali in parochia Sigebodi Narbonensis archiepiscopi, presbyterosque tuos in eius exteris subrogare ecclesiis. quod concite tuæ vitæ consulentes corrigere & emendare mandamus. Te vero Hunfridum ex diaconatus officio, & venerabili monachico habitu, apostatam audimus & dolemus effectum. Quapropter vel seera te pœnitentia per Domini misericordiam libera, & ad monasterium quanto citius confuge: vel si de tua confidis conscientia, ad Synodum nostram de illatis tibi atque obiectis te purgandum occurre: ne si prætermiseris, anathematis vinculo, vt pote apostata & rebellis, alligeris. Data vt supra.

## EPISTOLA CIII.

## IOANNIS PAPÆ VIII.

AD ROSTAGNUM ARCHIEPISCOPVM  
ARELATENSEM.

Vt ad Synodum cum suffraganeis suis quamprimum  
veniat.

*Rostagno venerabili archiepiscopo Arelatensi.*

**Q**VIA omnipotentis Dei miseratione vniuersalem Synodum sumus celebraturi in proximo, te, omnesque tuos coepiscopos suffraganeos, volumus, auctoritate apostolica admonemus, expresseque mandamus, ad hanc omni postposita occasione quantocius præsentare, exceptis eis obstaculis, quibus remorandi licentiam sacri Canones tribuunt. Alias, quod non optamus, quicumque se a tan-

to hac vice collegio subtraxerit, particeps de reliquo nostræ communionis esse nullatenus valebit. Data vt supra.

## EPISTOLA CIV.

## IOANNIS PAPÆ VIII.

AD FROTARIUM ARCHIEPISCOPUM.

Vt ad Synodum cum suis suffraganeis Trekas veniat.

*Frotario venerabili archiepiscopo Biturigenſi.*

**A**VDITIS denique deploratione atque angustia literis tuæ fraternitatis, quæ vobis ab hominibus Bernardi comitis sunt illatæ, recens dolor priori est augmentatus, & quod tibi sedis tuæ aditus clausus, mihi met ipsi id reputo. Hortamur interim dilectionem tuam patienter sufferre, & ad Trekas cum fratrum coepiscoporumque nostrorum collegio diœceseos tuæ ad Synodum Domino cooperante celebrandam quantocius properare. Ludouici regis amantissimi filii nostri aduentum præstolamur quotidie, inhianteque desideramus. Optamus sanctitatem tuam in Christo bene valere. Data vt supra.

## EPISTOLA CV.

## IOANNIS PAPÆ VIII.

AD BERNARDUM MARCHIONEM.

Monet vt Frotario aditum ad suam sedem patere faciat.

*Dilectissimo filio Bernardo nobilissimo marchionum.*

**Q**VIA tempore nonnullos diligimus specialius, idcirco in his quæ nobilitatem vestram Deum offendere cognoscimus, vos paterno increpamus affectu: præsertim de causâ Frotarii venerabilis episcopi, cui, vt audimus, vestri homines iter ciuitatis suæ, ne ad sedem suam ingrederetur, temerarie clauferunt. Episcoporum iudicium, fili carissime, suo tantummodo Dominus seruauit arbitrio, nec de episcopis vult laicos iudicare; vnde monemus dilectionem tuæ caritatis, vt quidquid in hac causâ prædicti episcopi deliquistis, sub celeritate & legaliter emendare studeatis: quia nos illud, nisi pro digna emendatione, inultum remanere nullomodo patimur officio ac ministerio sacer-